

Lorenz Stentzler


Dissertatio Theologica De Deo Qvam Consensv Facvltatis Theologicæ

[Greifswald]: Typis Hieron. Joh. Struckii, 1748

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1854435019>

Druck Freier  Zugang







384 a. B.
48. b. 8.

17

Fa-1092 (17.)





4,

DISSERTATIO THEOLOGICA

DE

D E O

QVAM

CONSENSV FACVLTATIS THEOLOGICÆ

PRÆSIDE

LAVRENTIO STENTZLER

S. S. THEOL. DOCT. ET. PROF. REG. ORD.

AD ÆDEM D. MARIE PAST. h. t. FACVLT. THEOL. DECANO

RECTORE ACADEM. ET S. PALAT. IMP. COM.

IN ACADEMIA GRYPHICA

ANNO MDCCXXXVIII. D. 10. JUNII

PVBLICE DEFENDET

JOHANNES HEYDERICH

KENZA POMERANUS.

TYPIS HIERON. JOH. STRUCKII.

4.
* * * * *

DE DEO.

§. I.

Fides est medium perveniendi ad DEVM. Fides supponit notitiam Christi Servatoris, qui est fundamentum fidei & salutis I Cor. III. II. Cognitio Christi non potest esse sine cognitione Trinitatis. Cognitio Trinitatis supponit cognitionem Dei. *Salvando itaque notitia DEI est necessaria.*

§. II.

Notitia, quam de DEO habemus, est vel Rationis lumine, vel Revelationis. Prior *Naturalis* dicitur, & ad Theologiam Naturalem pertinet; posterior *Revelata*, quæ ad Theologiam Revelatam refertur.

§. III.

DEVS est causa efficiens notitiæ naturalis, quam de DEO rebusque divinis habemus. Quicumque est causa causæ, est etiam causa causati. *DEVS* est causa rationis, tanquam causæ hujus notitiæ. E. quoque notitiæ naturalis, tanquam causati.

§. IIII.

Obiectum notitiæ naturalis de DEO est DEVS ipse, Actor. XVII. 27. seu invisibilia ejus. Rom. I. 20.

§. V.

Materia ex qua sunt principia, naturæ lumine nota, & conclusiones inde ductæ. §. 2.

K

§. VI.

§. VI.

Veritates seu *principia theologica* vel docent, quid sit in DEO absque relatione ad actiones hominum, & tunc dicuntur *Theoretica*, vel docent, quem respectum illa, quæ in DEO sunt, ad actiones hominum habeant, & tunc dicuntur *Practica*.

§. VII.

Quid sit DEVS, non potest cognosci, nisi existentia ejus præmittatur. *Notitia itaque naturalis agere debet de DEI existentia.*

§. VIII.

Cum DEVS referatur in numerum entium, de quolibet vero ente & essentia & attributa cogitari possunt, *notitia DEI naturalis etiam in essentia & attributis DEI exponendis occupata esse debet.*

§. VIII.

Inter attributa DEI omnipotentia ejus locum habet, quæ in operibus conspiciendam se præbuit. *E. notitia DEI naturalis de operibus DEI quoque præcipit.*

§. X.

Cultus DEI consistit in eo, quando perfectiones divinæ motiva actionum nostrarum præbent. Hinc sequitur, *summam principiorum practitorum consistere in eo: Deus est colendus.*

§. XI.

Forma notitiæ naturalis posita est in convenientia cogitationum cum re ipsa.

§. XII.

Finis notitiæ naturalis, per se intentus, est manuductio ad crea-

creatorem Act. XVII. 27., *accidentalis*, ut homo semetipsum excusare non possit Rom. I. 20.

§. XIII.

Notitia DEI naturalis est vera, quoniam proficiscitur ab ente veracissimo §. 3. Hinc non potest esse nisi vera Rom. I. 18.

§. XIII.

Notitia DEI naturalis est necessaria. Sine quo finis obtineri non potest, illud est necessarium. Atqui sine notitia naturali finis ille, ut homines per totum orbem dispersi, ad revelationem, & per illam ad DEVM ducantur §. 12., obtineri non potest. E.

§. XV.

Notitia DEI naturalis est utilis. Quodcunque facit ad finem obtinendum, est utile. E. notitia Dei naturalis §. 12.

§. XVI.

Notitia DEI naturalis est imperfecta. Quæcunque notitia verum DEI reconciliandi medium non suppeditat, illa est imperfecta ad salutem. Notitia DEI naturalis illud non suppeditat. E.

§. XVII.

Notitia DEI naturalis acquiritur vel per ratiocinia vel sine iisdem. Posterior dicitur *insita*, prior *acquisita*.

§. XVIII.

Notitia DEI naturalis insita est, quæ ante rationis usum in hominibus per creationem & generationem adest, & quidem actu.

Obj. I. Rom. II. 14. 15. de *gentibus*, quæ legem scriptam non habent, ut Judæi, asseritur, quod *natura* duce, naturali instinctu, vi ac

viribus naturalibus Gal. III. 8. Eph. II. 1. 3. *facerent, quæ sunt legis, & sic sibi metipsis essent lex.* Modus, quo sibi metipsis sunt lex, exponitur v. 15., dum per opera legis, quæ faciunt, testantur, *opus legis inscriptum esse cordibus suis.* Per opus legis intelligitur quicquid ex præscripto legis faciendum, quidve omittendum. Hoc ipsum inscriptum dicitur cordibus gentilium. Per cor anima intelligitur. Inscriptio denotat impressionem signorum, quæ certum fundunt sensum, & innuit passionem respectu subiecti recipientis, quemadmodum actionem respectu scribentis prodit. Provocatur ad conscientiam tanquam testem, dum, quando rationis usus sese exerere incipit, sibi conscii sunt, quod cogitationes se excusent vel condemnent, intaitu quoque actionum præteritarum.

Obs. II. Theologi, quando de notitia Dei insita agunt, in diversa abeunt, dum quidam illam per *potentiam propinquam* definiunt cum MUSÆO in *Introd. in Theol. c. II. thes. 19. p. 52. sqq.* alii per *habitus*, & quidem analogice sic dictum exponunt, ut CALOVIUS *System. Cap. I. Sect. 2. quæst. 3. p. 80.* GRAPIUS in *Theologia recens controversa cap. I. quæst. 3. p. 16.* BALTHASAR RHAW, nostras, in *Theologia Polem. p. 448. sqq.* Contra illos vero, qui habitum statuunt, disputat HENR. NICOLAI in *Tr. de notitiis naturalibus cap. II. p. 36. sqq.* PFAEFFIUS in *Institutionibus Theol. Dogm. & Mor. p. 197.* potentiam propinquam reiicit, putatque, ideas quasdam animæ sub creationem infusas atque concreatas fuisse, quæ postea per lapsum oppido obscuratæ, pravorumque affectuum luto involutæ tuere. Deducit hoc ex vita animæ, ex conscientia, & reliquiis imaginis divinæ, conf. eiusdem *Diss. de luminis naturæ ad salutem habitu* Tub. 1720.

§. XVIII.

Notitia DEI naturalis acquisita procuratur per ratiocinia
 §. 17. Cumque ratiocinia formantur vel *confuse*, vel *distincte*, prius ad vulgum, posterius ad eruditos pertinet.

§. XX.

Notitia naturalis exactior de Deo, rebusque divinis in
 Theo-

Theologia naturali est pertractanda. Theologia Naturalis est scientia de Deo rebusque divinis, quæ rationis lumine cognoscitur. Scientia supponit certa principia, ex quibus conclusiones legitimo modo formantur. Istiusmodi notitia de Deo dicitur exactior. Pertinet itaque ad Theologiam Naturalem.

§. XXI.

Notitia Dei revelata acquiritur ex lumine Revelationis. §. 2.

§. XXII.

Doctrina de Deo, si ad nexum cum reliquis fidei articulis referatur, omnium maxime *fundamentalis* est §. 1.; si ad principium cognoscendi referatur, inter *mixtos* collocanda. §. 2.

§. XXIII.

Dicta Scripturæ Sacræ classica, quæ hunc locum probant, sunt Hebr. XI. 6. Jes. XLII. 8. Joh. III. 24. 1 Tim. VI. 15. 16.

§. XXIII.

Quæcunque in his dictis continentur, ad sequentia capita rediguntur: 1. Deum in sacris litteris revelatum vere existere; 2. Eundem esse necessarium, omnisque mutationis expertem; 3. proprio nomine יהוה insigniri; 4. Eundem esse spiritum; 5. esse simul longe felicissimum; 6. omnium potentissimum; summum præterea 7. rebus omnibus imperantem; ac 8. immortalem; 9. in habitare illum lucem inaccessam; 10. omnem conspectum fugere; 11. remuneratorem esse omnium ipsum quærentium; 12. honorem possidere sibi soli proprium; 13. spiritu ac veritate coli debere; 14. fide credendum esse, & denique 15. hanc doctrinam de DEO pertinere ad fundamentum salutis.

K 3

§. XXV.

§. XXV.

Notitia DEI revelata versatur I. circa generalem essentiae divinae expositionem, II. circa attributa divina, & III. circa Trinitatis mysterium.

§. XXVI.

Quæ ad generalem essentiae divinae cognitionem pertinent, tam ex nominum divinorum, quam notionis Dei formandæ investigatione eruuntur.

§. XXVII.

Nomina DEI sunt termini, cum notione Dei ad eiusdem repræsentationem excitandam conjuncti.

§. XXVIII.

Eminet inter nomina divina, quæ in veteri Testamento occurrunt, vox יהוה, quæ descendit a Chaldæorum יהוה, cui Hebræorum יהוה respondet, & denotat ens, quod existit in gradu eminentissimo, seu: quod semper existit, in præsentî existit, & in omne tempus extitutum est Apoc. I. 4., quodque omnibus rebus existentiam dedit.

Obs. Circa hanc vocem consideranda 1) lectio, an per puncta propria, an aliena legi debeat, de qua HADR. RELANDUS agit in *Decade Exercitationum philologicarum de vera pronuntiatione nominis יהוה*. 2) Formatio, unde, a quibus temporibus & coniugationibus descendat. 3) Significatio, quæ tam ex forma grammatice vocis, quam ex interpretatione authentica Scripturæ Sacræ intelligitur. LXX. reddiderunt per *Κυριον*. B. Lutherus: *Herr*.

§. XXVIII.

Vox יהוה indicat existentiam necessariam. Denotat enim ens, quod existit in gradu eminentissimo §. præc. Omne ens existit

existit vel necessario, vel contingenter. Hoc existit ita, ut existentia sua rursus privari possit; illud minime. Hoc ens, cum existat modo eminentissimo, existit necessario. Indicat itaque terminus יהוה ens, quod existit necessario.

§. XXX.

Nomen יהוה est nomen DEO grammatice proprium, quoniam requisita nominis grammatice proprii habet. Sunt vero requisita nominis proprii grammatice talis; 1. non habere pluralem; 2. nulla suffixa pati; 3. ab initio nunquam admittere ה emphaticum; 4. nunquam poni in statu constructo.

§. XXXI.

Nomen יהוה est nomen DEO logice proprium, quoniam Deus hoc tanquam sibi proprium hominibus revelavit Exod. VI. 2. 3. XV. 3. sibi soli illud quoque vindicavit Jes. XLII. 8., inprimis Pf. LXXXIII. 19.

Obs. Exod. VI. 3. interrogative reddendum: Nonne nomen meum יהוה etiam illis fuit manifestatum? Nam usus huius nominis Patriarchis ante Mosen non omnino ignotus fuit, a Mose instauratus & confirmatus, continuatus etiam fatis diu, donec Judæi ex male intellectis verbis Levit. XXIV. 16., & superstitione, omnem eius pronuntiationem nefas esse duxerunt.

§. XXXII.

Nomen יהוה est nomen Dei essentielle. Nomen essenziale est, quod essentiam rei, quam exprimit, denotat. Nomen יהוה denotat ens, quod existit, extitit, & futurum est, & quidem in gradu eminentissimo §. 28.

§. XXXIII.

5.

§. XXXIII.

Nomen יהוה & per Etymologiam §. 30., & per asserta biblica §. 31. est nomen DEO proprium. E. nulli alii enti tribui potest in casu recto, absolute, & sine nota restringente vel alienante.

§. XXXIII.

Secundum nomen hebraicum est יה, quod nonnulli quidem ex nomine יהוה vel decurtatum vel contractum volunt; alii vero ex radice יאה derivant, quæ significat decet & convenit, ut summa Dei perfectio respectu attributorum, decretorum & operationum divinarum non modo insinuetur; sed etiam reverentia, quam creaturæ ratione præditæ illi præstare tenentur Jerem. X. 7.

§. XXXV.

Tertium nomen hebraicum, quod Deus sibi ipsi tribuit Exod. III. 14., est אהיה, quod non modo ens necessarium & constantissimum significat; sed etiam ens, quod a posteriori rectissime cognoscitur.

§. XXXVI.

Quartum nomen hebraicum est אל a radice אול posse, vi agendi pollere. Indicatur hoc ipso nomine & omnipotentia Dei, & vita una cum activitate perpetua, & principium denique omnium virium agendi in rebus creatis. Proprie hoc nomen Deo competit Ps. XXII. 2.; improprie creaturis tribuitur Jes. XLIV. 17. Exod. XV. 11.

§. XXXVII.

Quintum nomen hebraicum est אלה & אלהים, ab arabico אלה coluit, adoravit. Denotat ens summa religione colen-

colendum. Proprie Deo competit. Improperie & abusive Angelis, Principibus, quin imo idolis tribuitur.

§. XXXVIII.

Vox אלהים non quidem singulari numero, eiusdem cum plurali significatus destituitur; in terminatione vero significationis quoque pluralis est, donec probetur contrarium.

Obs. Quæ hic obijciuntur nomina, vel dominium aliquod significant, ut בעלים & ארנים, vel numero singulari carent, ut בתולים & פנים.

§. XXXVIII.

Sextum nomen divinum apud Hebræos est ארני & ארן, cujus radix Ebræis inusitata; sed quantum ex coniugatis colligi potest, *fulcivit*, *sustentavit* denotat. Significat itaque tum dominium Dei in creaturas omnes, tum omnium rerum creatarum dependentiam a Deo. Cum Jod Kametzato positum denotat basin ac columen cuiuscunque entis, in hoc universo existentis, & quamvis de quibusvis dominio præditis nonnunquam propter pausam adhibeatur, eminenter tamen Deo competit, & notas quoque grammaticas nominis proprii habet §. 30.

§. XXXX.

Septimum nomen divinum hebraicum est שרי, quod vel a radice שרר, quæ apud Arabes significat *viribus pollere*, vel a שר *manna*, vel ex רי *sufficientia* & relativo ש ex אשר, derivatur. Significatur hoc nomine & omnipotentia divina, & sufficientia eius, qua sibi est sufficientissimus, omnibusque aliis quam maxime necessarius.

L

§. XXXXI.

§. XXXXI.

Octavum nomen divinum est apud Hebræos עליון, cujus radix ascendere, eminere significat, quo ipso summa Dei perfectio innuitur.

§. XXXXII.

Duo sunt nomina, quibus DEVS imprimis in novo Testamento appellatur. Alterum Θεός, alterum Κυριος.

§. XXXXIII.

Cum auctores in derivatione vocis Θεός mirum in modum variant, primitiva esse videtur, qua proprie denotatur verus DEVS, quia 1) nomina יהוה & אלהים, quæ DEO soli in veteri Testamento tribuuntur, in novo per Θεός exprimuntur Deut. VI. 4. coll. Marc. XII. 29. 2) Judæi Joh. X. 33. indignabantur, quod Christus se fecisset Θεός. Hoc autem fieri non potuisset; nisi per Θεός verum & essentialem Deum intellexissent. Accedit 3) quod Dii fictitii τω Θεώ simpliciter opponantur 1 Cor. VIII. 5. 6. Gal. IV. 8. 9. Denotat itaque proprie supremum omnium rerum Dominum.

§. XXXXIII.

Κυριος vel a κυρος, plena auctoritas deducitur, & sic voci convenit cum ארני, & denotat dominum totius huius universi, vel ab antiquo themate κυρεω, id est υπαρχω, tunc exprimit Hebræorum יהוה, & denotat ens, quod modo eminentissimo, & sic necessario existit.

Obs. Vox Κυριος in sensu vulgari sumitur pro Domino quocunque Joh. XX. 13; in sensu novi fœderis proprio, & tunc significat verum & essentialem Deum, quoniam יהוה Deut. VI. 4. exprimitur Marci XII. 29. per Θεός, quemadmodum & LXX. semper vocem יהוה

יהוה

יהוה per *Kueiov* verterunt; in sensu specialissimo Paulus sapius Christum nominat *Kueiov*, v. g. 1 Cor. XI. 23. 26.

§. XXXXV.

Consideratio nominum, quæ in tabulis utriusque foederis de Deo adhibentur, non modo promovet cognitionem essentia divinx, nostræque ad illum relationis; sed etiam commodas locutiones de Deo suppeditat.

§. XXXXVI.

Essentia rei est id, quod primum in re concipitur, quæ per conceptum communem & proprium exprimitur, quando genus & species proprie loquendo inveniri non possunt.

Obs. Essentia realis non est sine existentia, id quod conceptus entis vere talis sibi vult. Nihilominus tamen hæc beneficio abstractionis concipi potest sine illa.

§. XXXXVII.

Deus est ens, quod existit modo eminentissimo, quod semper extitit, in presenti existit, & in omne tempus extitutum est, quodque omnibus rebus existentiam dedit. §. 28.

Obs. I. De primo Dei conceptu in Theologia quæritur, seu: quodnam illud sit prædicatum, quod de Deo ita prædicetur, ut reliqua attributa divina ex illo conceptu primo intelligi possint, quæ proinde dicuntur *conceptus secundi*; nam quamvis in Deo nec primum sit, nec ultimum, primus tamen conceptus quidam poni debet, propter imbecillitatem intellectus nostri, ut ab illo initium cognitionis nostræ fiat.

Obs. II. Si quæritur: *An Deus definiri possit?* quæstio neganda, si de definitione adæquata & genetica intelligitur, si vero de definitione distincta & completa sermo est, affirmanda. Prius vetat infinitas Dei summa; posterius relatio nostra ad Deum sibi postulat.

§. XXXXVIII.

Complectitur vero hic primus de Deo conceptus, quod Deus sit *Ens necessarium, independens, absolute primum, infinitum, perfectissimum.*

Obs. Auctores alias variant in constituendo primo Dei conceptu; sed hac ratione inter se conciliari posse videntur.

§. XXXXVIII.

Deus non modo est *Ens necessarium in existendo* §. 29; sed etiam *in essendo*, ut alius omnino esse non possit, quam revera est Jerem. X. 10. 1 Joh. V. 20.

§. L.

Ens dependens dicitur quod, & quatenus rationem sui habet in alio. *Independens*, quod rationem sui habet in nullo alio; sed in semetipso.

§. LI.

Deus est *Ens* non modo in existendo; sed etiam in essendo *independens*, ita, ut a nulla alia causa pendeat; sed a se ipso. Jer. XXXIII. 10. II.

§. LII.

Deus est *ens absolute primum*, rerumque omnium principium & finis Jer. XXXI. 4. Apoc. I. 8.

§. LIII.

Ens infinitum dicitur, quod simul est, quicquid per essentiam esse potest.

§. LIIII.

Deus est *ens infinitum* Pl. CXXXXV. 3. Pl. XXXXVII. 3.

Obs. *Magnum* alias dicitur, quod plures habet partes respectu alterius, sive partes illæ sint determinatæ, sive minus. Cum vero de

de ente, quod existit modo eminentissimo adhibetur, non intelligenda est magnitudo molis; sed perfectionis atque virtutis, quam homo omni studio consequi non potest.

§. LV.

Perfectio est consensus variorum in uno. Est vel *simpliciter talis*, cuius conceptus nullam omnino imperfectionem includit; vel *secundum quid talis*, qui aliquid imperfectionis involuit. *Ens per eminentiam* dicitur, quod proprie loquendo tale non est; sed loco eius, quod proprie esse repugnat, præstantius aliquid habet.

§. LVI.

DEVS est Ens perfectissimum. Matth. XVIII. 16. 17.
1 Tim. VI. 15. 16.

Obs. I. Per *lucem* in Scriptura Sacra nonnunquam perfectiones intelliguntur, ut Matth. V. 16.

Obs. II. Omnes perfectiones & absolutæ, & secundum quid tales Deo sunt tribuendæ. Posteriores vero, quoniam aliquid imperfectionis continent, Deo per eminentiam sunt tribuendæ; alias repugnarent infinitati eius.

§. LVII.

Attributum Dei dicitur quicquid representatione discerni potest in complexu perfectionum divinarum omnium.

§. LVIII.

Sunt hæc attributa Dei ad unum omnia essentialia, quorum nullum abesse potest; singula autem reliqua æque determinant.

§. LVIII.

Differunt hæc attributa, non ut nomina eiusdem rei diversa; neque ut entia diversa; sed ut conceptus variorum diversi, quæ a nobis in Deo cogitando discerni possunt.

§. LX.

Dividuntur attributa I. in *quiescentia*, *absoluta* & *immanentia*, quæ Deo competunt, quatenus est ens, quod existit modo eminentissimo, & *operantia*, s. *transitiva* & *respectiva*, quæ Deo competunt, quatenus rationem huius universi in se continet.

§. LXI.

Dividuntur attributa II. in *negativa*, quæ imperfectionem immediate a Deo removent, & *positiva*, quibus perfectiones Dei immediate indicantur.

§. LXII.

Dividuntur attributa III. in *physica* s. *naturalia*, quæ pertinent ad cognitionem essentiaæ divinaæ in se spectataæ, & *moralia*, quæ qualitatem voluntatis, decretorum & actionum Dei determinant.

§. LXIII.

Ens sibi sufficientissimum est, quod nullo prorsus ente extra se quomodocunque indiget, sibi sui est conscius, & quidem cum summa acquiescentia ac voluptate.

§. LXIII.

Deus est Ens sibi sufficientissimum, quoniam nulla alia re indiget extra se, neque ad cognoscendum, neque ad res producendas, neque voluptatem ex ea percipiendam. Act. XVII. 24. sqq. Pf. XVI. II.

§. LXV.

Metimur ens, quando quantitatem entis datam ad aliam homogeneam investigamus. Requiritur itaque ad mensurationem: 1) ut quantitas adsit, ad quam exigatur altera, id est, *mensura*; 2) ut quantitas adsit, quæ exigatur ad mensuram, id est,

est, *mensurandum*; 3) ut determinetur, quoties *mensurandum* contineatur in *mensura*.

§. LXVI.

Immensum est, quod *mensurari non potest*.

§. LXVII.

Deus est immensus. I Reg. VIII. 27. coll. §. 53.

Obs. I. Immensitas tribuitur Deo non *extensive*, ut aëri; non *inclusive*, ut cælo; non *commixtive*, ut effluvia in atmosphæra aëri sunt commixta; non *diffusive*, sicut mare latissime diffunditur; sed *per ubiætatem* interminabilem.

Obs. II. Immensitas probe distinguenda erit ab *omnipræsentia*, quoniam hæc respectum habet ad creaturas; illa non.

§. LXVIII.

Incomprehensibile est cognoscibile, cuius vel *actualitatem* vel *possibilitatem* nobis *repræsentare* possumus; non *vero modum alterius*, vel *utriusque*.

§. LXVIII.

Deus est incomprehensibilis. Pf. CXXXXV. 3.

§. LXX.

Complexus omnium attributorum ac perfectionum divinarum simul sumtarum considerari potest vel absolute, vel relative. Si *relative*, *relatio instituitur* vel ad ipsum Deum, & tunc hic *complexus vocatur felicitas summa*; vel ad homines, & tunc *indicatur tum quid in Deo sit, diciturque Maiestas divina, tum quid officii nostri rationes sibi postulant, unde Gloria divina*.

§. LXXI.

Felicitas est status perpetuæ voluptatis.

Obs.

Obs. Distinguunt alias inter *felicitem & beatitudinem*. Illa in statu perpetuæ voluptatis ponitur. Hæc in progressu non impedito ad plures maioresque perfectiones. Perfectiones homini tanquam enti finito simul inesse non possunt. Hinc illi progrediendum erit ad maiores perfectiones. Deus est ens infinitum §. 54. Possidet itaque omnes perfectiones simul.

§. LXXII.

Summa felicitas, quæ non modo in necessaria possessione; sed etiam fruitione omnium perfectionum divinarum cum acquiescentia & voluptate infinita consistit, *Deo competit.* 1 Tim. I. II. Pf. XVI. II.

§. LXXIII.

Maiestas est complexus perfectionum cum imperio in creaturas intelligentes coniunctus. Si perfectiones in universum omnes, absolutumque adsit imperium, *Maiestas* dicitur *summa*.

§. LXXIII.

DEVS, qui est ens perfectissimum, omnibusque creaturis intelligentibus necessario præest, nec superiorem, nec æqualem, nec solum suo imperio omnino habet neminem, *summa gaudet maiestate.* Jerem. X. 7. 1 Tim. VI. 15.

§. LXXV.

Gloria est iudicium de perfectionibus alterius, cum veneratione coniunctum.

§. LXXVI.

Perfectiones divinæ, cum creaturis intelligentibus ita sint significatæ, ut summa veneratione sit dignissimus, *summa Deo competit gloria.* Jes. VI. 3. Matth. VI. 13. Apoc. III. II.

§. LXXVII.

§. LXXVII.

Attributa quiescentia, absoluta & immanentia sunt Unitas, cuius consequens est Simplicitas, quæ comprehendit Spiritualitatem, ex qua fluit Invisibilitas: Veritas, Bonitas, Æternitas, Immutabilitas, Incomprehensibilitas.

§. LXXVIII.

Unitas metaphysica est inseparabilitas eorum, per quæ ens determinatur. Est autem unum absolute tale, quod habet essentiam indivisam, seu, quod essentiam sibi inesse debitam plene possidet, ut homo ex anima & corpore constans. Unum exclusive idem est, quod unicum. Unicum vero est, quod sui simile non habet, sic homo est unus; non vero unicus.

§. LXXVIII.

Deus non modo est unus Deut. VI. 4. 1 Cor. VIII. 6. sed etiam unicus Deut. III. 35. 39. Joh. XVII. 3.

Obs. I. Patres ex parte notionem de unitate Dei ad infinitam seu anticipatam retulerunt. CUDWORTHUS facit eum his in *Systemat. Intellect.* p. 222., putatque gentes populosque, Poetas & Philosophos præter Plutarchum & Atticum, in unitatem Dei supremi consensisse. PFANNERUS eadem vestigia premit in *System. Theol. Gentilium purioris* cap. 2. §. 2. BÆLIUS contrarium defendit in *Continuation des pensees diverses* p. 285. CLAUDIUS PATONIUS, nepos, unitatem Dei ex ratione cognosci posse negavit. GROTIUS difficillimum iudicavit, & provocat ad gentes, quæ, si a Judaica discesseris, contrarium illi defendere videntur, de *J. B. & P. L.* II. c. 20. §. 47.

Obs. II. Probatur unitas Dei ex necessaria & infinita Dei perfectione. Quicquid enim absolute necessarium est, non nisi unica ratione existere potest. Si plura essent entia perfectissima, eorum determinationes intrinsecæ ad unam omnes essent eadem. Si plura essent entia infinita, perfectionibus essent æqualia, aut non. Si posterius,

M

sterius,

sterius, nullum esset infinitum. Si prius, perfectiones illæ essent aut æquales & similes, aut inæquales & dissimiles. Posterius infert, nullum horum entium esse infinitum. Prius aut nullam differentiam admittit, aut quandam simul involvit. Sin illud, sunt prorsus eadem, ita, ut ne numero quidem differant; sin hoc, ratio differentiæ, si veri nominis differentia adest, dari debet, cur v. g. hoc ens in hoc, aliud vero in alio loco sit. Quod cum de infinitis affirmari non potest, veritas thesæos inde apparet.

§. LXXX.

Ens singulare absolute tale est, quod pluribus competere, & de illis prædicari plane non potest; *respectively tale*, quod in respectu ad aliud latius patens minus universale est, seu minus late patet.

§. LXXXI.

Deus est ens singulare absolute tale, quia unus est essentia, quæ omnem sui multiplicabilitatem, ut ita loquar, simpliciter excludit. §. 79.

Obf. Deus quidem dicitur de pluribus Deitatis personis, non tamen dicitur, quod hæ tres Divinitatis personis tres Dii sint, quoniam communicabilitas ad plures personas non infert pluralitatem essentiæ.

§. LXXXII.

Essentia rei quando abstracte consideratur, & unitas de illa prædicatur, *unitas* illa dicitur *specificæ*; si vero de individuus sermo est, unitas dicitur *numerica*.

§. LXXXIII.

Deus est unus, non specificè tantum, ut in personis humanis; sed numericè, ut *unicus* tantum sit Deus, unicaque essentia divina, præter quam nec alia numero distincta existat, nec existere possit. §. 79.

§. LXXXIII.

§. LXXXIII.

Deus est unus. Ergo quoque *indivisus*, seu in plures essentias divisus non est, ut exercitus, & collegium aliquod hominum.

§. LXXXV.

Deus est unus. Ergo & *indivisibilis*, qui dividi prorsus nequit, neque in partes essentielles, neque integrantes, neque in subiectum & accidentia.

§. LXXXVI.

Deus est unus. Ergo *essentia eius est incommunicabilis* per quandam sui multiplicationem. Simplici vero communicatione per indivisam participationem & absque multiplicatione essentia divina quoque est in Filio & Spiritu Sancto, quibus cum Patre diversis habendi modis una eademque numero essentia divina communis est.

§. LXXXVII.

Ens simplex est, quod nullis constat partibus, seu, quod compositum non est.

Obs. Simplex aliquid dicitur multis modis, prouti compositum, quod illi est oppositum. Datur enim compositum 1. Physicum, quod ex materia & forma est coagmentatum. 2. Metaphysicum, quod ex genere constat, & differentia specifica. 3. Quod ex substantia & accidente constat.

§. LXXXVIII.

Ens, quod absolute necessarium & indivisibile, est etiam simplicissimum. §. 85.

§. LXXXVIII.

Quaecunque igitur enti simplici non competunt, ea de Deo removenda sunt. Hinc Deus non est ens extensum, nulla præditus figura, magnitudine caret, spatium implere nequit, nec est corpus.

§. LXXXX.

Spiritus est ens, quod intellectu gaudet & voluntate.

§. LXXXXI.

Deus est Spiritus Joh. III. 24. Tribuitur illi intellectus Jes. XXX. 28. Rom. XI. 34. & Voluntas Pl. XV. 3. Matth. VI. 10.

Obs. I. Vox *πνευμα* in Scriptura Sacra & ventum, & halitum hominis, & spiritum proprie sic dictum notat. Quod vero Joh. III. 24. Spiritus proprie sic dictus intelligatur, probatur 1) ex contextu orationis, ex quo conficitur, tale ens hic intelligendum esse, quod nulli loco adscriptum, id est, quod non est extensum, neque compositum. 2) quod hoc ens in spiritu & in veritate sit colendum. Sequitur inde, Deum in genere tali ratione Spiritum dici, qua hominis anima, quæ intellectu & voluntate prædita est.

Obs. II. Ratio veritatem huius asserti ex necessitate & infinita Dei perfectione cognoscit, qui rationem sufficientem quoque huius universi in se continere non potest, si intellectu & voluntate destitutus esset.

Obs. III. Scriptura Sacra dum Deo membra tribuit, & nihilominus illum quoque Spiritum esse affirmat, prius improprie; posterius vero proprie est intelligendum.

§. LXXXXII.

Invisibile dicitur, quod visu percipi nequit.

§. LXXXXIII.

Deus est invisibilis Exod. XXXIII. 20. sqq. Rom. I. 20.

Obs. Quando asseritur, Deum esse invisibilem in se & sua natura, conceditur, Deum in assumtis speciebus se posse videndum præbere, conf. Exod. XXIII. 10-12.

§. LXXXXIII.

Veritas Metaphysica est ordo eorum, quæ enti conveniunt, seu, quando res habet, quæ illi inesse debent.

§. LXXXXV.

§. LXXXXV.

Deus est verus, dum omnia ea possidet, quæ notione entis necessarii comprehenduntur, eaque perfectissime inter se conspirant Jer. X. 10. 1 Joh. V. 20.

§. LXXXXVI.

Ens bonum in se dicitur, quod suam habet perfectionem.

§. LXXXXVII.

Deus est summe bonus. Matth. XVIII. 16. 17.

§. LXXXXVIII.

Æternum dicimus, quod & initii expers est & finis.

§. LXXXXVIII.

Æternitas dividitur in *fixam* & *successivam*. Hæc est cum perpetuis successionebus; illa sine iisdem.

Obs. Notio æternitatis §. 98. suppeditata, Platonicorum fuit, id quod CUDWORTHUS probat in *System. Intellect.* Tom. I. p. 467. ex edit. MOSHEMII. Scholastici æternitatem finiunt per durationem interminabilem, indivisibilem & independentem; cum vero duratio sit existentia simultanea cum rebus pluribus successivis; successio autem in eo consistit, ut uno transeunte oriatur alterum, in Deo locum habere non potest. Hinc successione omnis expers est æternitas in Deo.

§. C.

Deus est æternus 1 Tim. I. 17., omnis initii & finis expers. Pl. LXXXX. 2. Jer. XXXIII. 10. Pl. CII. 25. 1qq. Apoc. I. 8. II.

Obs. I. Vox *æternitatis* sumitur in Scriptura Sacra 1) pro eo, cuius terminus durationis determinatus non est, quamvis revera adsit, ut Gen. XIII. 15. 2) pro eo, quod nec initium habet, nec finem, & tunc terminus adhibetur proprie. Tali sensu adhibetur de Deo.

M 3

Obs. II.

Obs. II. Attributum hocce divinum derivatur alias quoque ex necessitate Dei, & summa eius perfectione.

Obs. III. Quamvis attributum hoc exprimat per terminos negativos, conceptus tamen æternitatis in Deo negativus non est, quoniam prædicatur de existentia Dei, quæ utique aliquid ponit.

§. CI.

Ens *mutari* dicitur, quando non idem manet, quod antea fuit. Est itaque *immutabilitas* negatio omnis mutationis, tam actualis quam possibilis, tam physicæ quam moralis.

§. CII.

Deus est immutabilis Exod. III. 14. VI. 1. 3. 7. Jac. I. 17. Mal. III. 6.

Obs. I. Exod. III. 14. Filius Dei, λογος, Angelus Dei, loquitur, id quod ex inductione omnium exemplorum probavit LANGIUS in *Causa Dei* P. I. p. 359. 371. Dum hic se dicit אלהים אלהים אלהים idem nomen in prima persona exponitur, quod in יהוה per tertiam. Utrumque autem verum Deum significat, qui semper idem est.

Obs. II. Jac. I. 17. de Deo dicitur, quod sit pater luminum, quod in illo non sit ulla mutatio, neque umbraculum quoddam mutationis, neque in intellectu, neque in voluntate, neque in essentia tota.

Obs. III. Ens absolute necessarium, independens & æternum debet etiam esse immutabile.

§. CIII.

Incomprehensibile est, quicquid potest cognosci, ita, ut eius vel actualitatem vel possibilitatem nobis repræsentare possimus, non vero modum vel alterius, vel utriusque.

§. CIII.

Deus est incomprehensibilis Pl. CXXXV. 3.

Obs. Infinitus intellectus Dei repræsentat sibi omnia simul; sed modus comprehendi non potest, quoniam Intellectus noster finitus est.

§. CV.

§. CV.

Cum in creaturis rationalibus aliud fit principium, *agendi originem* indicans, aliud *agendi modum* significans, idque vel *dirigens*, vel *imperans*, vel *exequens*, attributa DEI operantia pari modo quoque tradi possunt.

§. CVI.

Actuosum dicitur, quod vi sibi intrinseca ad actum deducit, quæ per essentiam rei intelliguntur possibile. *Vita entis in genere* consistit in vi activa. *Vita Spiritus* in vi cogitandi appetendi & agendi extra se.

§. CVII.

DEVS secundum Scripturam Sacram *vivus est, & quidem independenter ab omni alio.* Deut. XXXII. 40. Joh. V. 26.

Obs. I. ΕΧΕΩ ΖΩΗΝ ΕΝ ΕΑΥΤΩ Joh. V. 26. stilo biblico constanter denotat attributum immanens, non transiens, hinc phrasis innuit, Deum habere vitam a sua essentia, vel independenter ab omni ente alio.

Obs. II. Deus est ens perfectissimum & simplicissimum. Præditus itaque est vi agendi, & quidem illimitata, per quam in se ad actum deducit, quæcunque per essentiam sibi inesse possunt. Est itaque actuosus. Deus vero dum est immutabilis, constanter actuosus est, in quo vita entis consistit.

§. CVIII.

Deus vivit vitam Spiritibus propriam, quoniam ab æterno omnia possibile distincte cognoscit, & quicquid vult, id vult ab æterno. Cumque Intellectui divino pariter ac voluntati τὸ infinitum esse competit, vita Dei ut Spiritus, in vi cogitandi & appetendi & agendi infinita ponenda erit.

§. CVIII.

§. CVIII.

Vitæ opponitur *mors*, quæ est privatio vitæ. *Immortalitas* est perennitas vitæ intellectualis.

§. CX.

DEVS secundum Scripturam Sacram est *immortalis*, & quidem solus independenter. 1 Tim. VI. 16.

Obs. Probatur alias ex ratione, quia Deus vivit vitam intellectualem, & immutabilis est.

§. CXI.

Intellectus est facultas res sibi distincte repræsentandi.

§. CXII.

Deo comperit *intellectus* Rom. XI. 33. 34. Joh. III. 24.

Obs. *Intellectus in Deo est actus, non vero facultas.* Quæ animæ humanæ facultatum instar insunt, ea Deo ad instar actus competunt; Deus enim cum est ens perfectissimum, omnes realitates compossibiles vere & ipso actu possidet.

§. CXIII.

Deus cognoscit omnia possibilissima distinctissime & unico actu. Distinctissime cognoscit omnia, quoniam est ens perfectissimum. Unico actu omnia cognoscit, quoniam *Intellectus in Deo non est facultas; sed actus* §. 112. *obs.*

Obs. I. Quodsi itaque Deus non unico actu omnia cognosceret, successio quædam ac mutatio daretur in Deo, id quod pugnat cum eius immutabilitate.

Obs. II. Quicumque cognoscit omnia possibilissima, ille cognoscit possibilissima tam absolute talia, quam quatenus in systema sunt relata, quin imo opposita illorum.

§. CXIII.

§. CXIII.

DEVS distinctissime cognoscit hunc mundum ab æterno Act. XV. 18. Ebr. III. 13., certo cognoscit omnes cogitationes hominum Jer. XVII. 9., libera quoque hominum decreta, omnesque illorum ideas Pl. CXXXIII. 1. sqq., omnes res, etiam minimas Matth. VI. 26. sqq. X. 29. 30. Deus cognoscit semetipsum, & quidem distinctissime 1 Cor. II. 10.

§. CXV.

Cum Deus sit ens infinitum, immensum, perfectissimum, Intellectus eius est infinitus, immensus, ab omni errore immunitis, quin imo ipso Deus, quoniam Intellectus Dei ab essentia eius non differt realiter, & sic Intellectus Dei est incomprehensibilis. Jesus Syr. XXIII. 29. Rom. XI. 33. Jac. I. 17. Pl. CXLVII. 4. 5.

§. CXVI.

Quamvis cognitio in Deo sit tantummodo una, quoniam Deus unico cognoscendi actu intelligit omnia, §. 113, respectu tamen obiecti cognitio Dei triplex est: 1. Cognitio simplicis intelligentiæ; 2. Scientia visionis; 3. Scientia media.

§. CXVII.

Cognitio simplicis intelligentiæ est, qua Deus sibi res tam intrinsece, quam extrinsece possibiles repræsentat.

Obs. Simplicis intelligentiæ cognitio dicitur quoque necessaria, quia Deus illa carere non potest; hæc enim si non adesset, intellectus eius futurus esset limitatus. Simplicis intelligentiæ cognitio dicitur, quia nostro concipiendi modo omne decretum voluntatis liberum antecedit.

§. CXVIII.

Deo competit cognitio simplicis intelligentiæ, quoniam cognoscit omnia possibilia & semetipsum distinctissime. §. 114.

N

Obs.

5.

Obf. Possibilitas rerum pendet ab ideis in intellectu divino, quæ ab illo sunt inseparabiles, quoniam Deo sunt essentielles. Hæc est illa *possibilitas*, quæ vocatur *intrinsicæ*. Jam Deus sibi conscius est omnium illorum, quæ sunt in Intellectu suo. Cognoscit itaque intrinsicæ, seu absolute possibilia. Consciis sibi quoque est potentia suæ §. II4. In potentia Dei ratio illorum posita est, quæ sunt extrinsece possibilia. Ergo quoque cognoscit extrinsece possibilia. Hæc est cognitio Dei naturalis, s. simplicis intelligentiæ.

§. CXVIII.

Scientia visionis est cognitio Dei, qua sibi res præter se actuales, tam quoad simultaneitatem, quam successionem repræsentat.

Obf. *Scientia visionis* dicitur, quia Deus quasi intuetur actualement rerum præsentiam, *libera*, quia, dum ipsa productio actualium res libertatis divinæ est, ab eadem libertate divina etiam pendet, ut res quasdam tanquam actuales cognoscat, quamvis, posita creaturarum existentia, necessarium sit, ut creaturæ tanquam existentes a Deo cognoscantur.

§. CXX.

Deo secundum Scripturam Sacram competit Scientia Visionis. Deo enim tribuitur Recordatio Jes. XXXII. 9. XXXVIII. 3. sqq. Recordatio in Deo dicitur cognitio certa præteritorum. Præsentia, quæ ad cognitionem simplicis intelligentiæ refertur, est certa futurorum cognitio in Deo. Quicumque vero & præterita & futura distincte cognoscit, ille etiam præsentia distincte cognoscere debet.

§. CXXI.

Futura, quæ Deus cognoscit, *sunt vel certo talia, vel talia, quæ sub certa quadam conditione* futura essent, quamvis non existente conditione, non existant. Cognitio priorum dicitur

Præ-

Præscientia, & ad cognitionem simplicis intelligentiæ refertur
§. 118. Posteriorum cognitio constituit *Scientiam Dei mediam*.

§. CXXII.

Est itaque *Scientia Dei media* scientia rerum, quæ aliquando futuræ sunt, si certa conditio poneretur, nunquam autem futuræ sunt, quoniam conditio nunquam ponenda cognoscitur.

Obs. I. *Media* dicitur hæc scientia, quoniam inter cognitionem simplicis intelligentiæ, & scientiam visionis interposita esse videtur.

Obs. II. Scientia hæc, quod ad rem ipsam spectat, nec Patribus græcis nec latinis ignota fuit, observante PETAVIO in *Dogm. Theol.* L. III. c. 8. Scholastici deinde hanc doctrinam excoluerunt. Jesuitæ vero in illa amplificanda laborarunt, quibus denominatio quoque tribuenda, quamvis res ipsa in Scriptura Sacra fundamentum habeat. Dominicanis res nova visa fuit, hinc Jesuitis hac in parte acriter se opposuerunt, vid. SERRIUS in *Historia Congregationum de auxiliis gratia*. Ex nostratibus de *Scientia Dei media* omnium optime egit BECHMANNUS in peculiari Tractatu.

§. CXXIII.

Datur in Deo Scientia media. 1 Sam. XXIII. 10. Matth. XI. 21. apparet ex dictis, Deum etiam cognoscere, quæ sub certis circumstantiis futura sunt, quamvis conditiones nunquam existant. Deum vero futura conditionata non modo cognoscere; sed etiam certo cognoscere sub illis conditionibus, probatur ex Jes. XXXXI. 23. sqq. XXXXII. 8. 9.

Obs. *Scientia Dei media* probatur quoque ex ratione. Ad *Scientiam mediam* requiritur 1. cognitio eorum possibilium, quæ per alia possible sunt, & quæ certis circumstantiis possibilibus positis futura essent; 2. cognitio eorum, quæ actualia sunt, ut pateat, quæ nunquam possible vel ponenda sunt. Jam Deus per simplicem intelli-

gentiam tam absolute possibile, quam extrinsece possibile cognoscit. Cognoscit quoque ea, quæ certis circumstantiis possibilibus positæ futura essent. Per Scientiam visionis Deus cognoscit, quæ actu sunt.

§. CXXIII.

Scientia est habitus asserta demonstrandi.

§. CXXV.

Deo competit scientia omnium universalium & singularium per eminentiam. Deus cognoscit omnia possibile distinctissime unico actu §. 113. Sic cognoscit quoque omnia universalia & singularia, eorundemque nexum quam accuratissime perspicit. Demonstrationis est, nexum ostendere. Fit hoc apud homines per ratiocinia. Hæc Deo proprie tribui non possunt. Est vero quod in Deo in locum demonstrationis substitui debet. Hoc dicitur scientia per eminentiam. Ubi demonstratio, ibi scientia.

§. CXXVI.

Omniscientia est scientia omnium cognitu possibile.

§. CXXVII.

Competit Deo Omniscientia secundum Scripturam Sacram. I Sam. II. 3. Pf. LXXXIII. 10. I Joh. III. 20.

Obf. Ratio quoque cognoscit, Deum instructum esse scientia omnium cognitu possibile per eminentiam §. 125. Perfectio Dei infinita & independentia eius idem probant.

§. CXXVIII.

Obiectum omniscientiæ divinæ sunt ipsa Dei essentia, adeoque infinitæ eius perfectiones omnes, omnia, quæ fieri possunt, quæque actu existunt, sive sint simultanea, sive successiva, eaque tum præsentia, tum præterita, tum futura omnia.

§. CXXVIII.

§. CXXVIII.

Forma huius omniscientiæ divinæ ita comparata est, ut *removeat* a Deo omnes imperfectiones, per consequens sensationem & imagines; successione, abstractionem & ratiocinia; obscuritates & confusiones; errores & dubitationes; *inferat* vero omnes perfectiones, ut adeo sit intuitiva, immediata ac pura, simultanea, distinctissima, verissima æque ac certissima.

§. CXXX.

Sapientia est scientia subordinandi media fini convenientia, s. est scientia, quæ consistit in finium legitimorum determinatione, mediolorum electione, finiumque subordinatione.

§. CXXXI.

Deus secundum Scripturam Sacram est ens omnium sapientissimum Job. XII. 13. Rom. XI. 33. XVI. 27. 1 Tim. I. 17.

Obs. I. Notio sapientiæ probatur ex Actor. VII. 10. coll. Genes. XXXXI. 38. 39.

Obs. II. Ratio cognoscit, Deum esse Spiritum. Spiritus sapientiæ capax est. Deus vero cum sit Spiritus infinitus, omnes realitates compossibiles simul possidet. E. quoque sapientiam & quidem in gradu eminentissimo.

§. CXXXII.

Versatur vero hæcce sapientia divina *tum* in constituendis optimis actionum suarum finibus, *tum* in determinandis mediis, quæ finibus suis sunt quam maxime accommodata, ita, ut neque abundant, neque deficient; simplicitate potius ac fœcunditate se quam maxime commendent.

§. CXXXIII.

Voluntas est facultas res distincte cognitæ & appetendi &

aversandi, s. est inclinatio ad bonum distincte cognitum, & averfatio a malo distincte cognito. Eph. I. II. Pl. CXV. 3.

§. CXXXIII.

In DEO datur voluntas secundum Scripturam Sacram.
Matth. VI. 10. Eph. I. 5.

Obf. Intellectus & Voluntas arctissimo vinculo unita sunt. Hinc ubi Intellectus, ibi quoque est Voluntas.

§. CXXXV.

Libertas est facultas entis intelligentis, ex pluribus possibilibus sponte eligendi id, quod maxime placet, cum ens intelligens ad nullum eorum per essentiam sit determinatum.

Obf. Requiritur itaque ad libertatem 1) distincta actionis suscipiendæ cognitio; 2) actionis contingentia; 3) spontaneitas, quæ est facultas animæ semetipsam determinandi. Determinat vero anima semetipsam, dum voluntas neque vi externa, neque interna ad appetendum vel averfandum cogitur.

§. CXXXVI.

Deo competit Libertas summa. Dan. III. 31. 32. Eph. I. 5.

Obf. I. In loco Danielis verba Nebucadnezaris a vate divino adducuntur, & simul probantur. Hæc ipsa verò verba dum Deum ab omni coactione externa liberum pronuntiant, ab interna illum simul liberum esse volunt; nam si Deus per essentiam v. g. determinatus esset ad mundi productionem, qui tamen in tempore factus est, mundus ab æterno producendus fuisset, id quod implicat.

Obf. II. Libertas animæ humanæ competit. Jam verò omnes realitates animæ Deo insunt in gradu eminentissimo propter summam eius perfectionem. Hæc ipsa verò perfectio docet, libertatem a necessitate naturæ interna Deo non absolute, & in omnibus obiectis esse tribuendam; sed ad existentias rerum contingentium atque decreta

creta divina esse restringendam, cum voluntas Dei necessaria & naturalis in ipsum Deum, rerumque essentias dirigitur.

§. CXXXVII.

Libertas alia est *contradictionis*, alia *contrarietatis*. Illa versatur circa agere & non agere. Hæc circa agere hoc & aliud, hac & alia ratione.

§. CXXXVIII.

Deo competit & *libertas contradictionis* & *contrarietatis*. Illa, quoniam ab omni coactione interna & externa liber est, nam sponte agit §. 136. Hæc quia libere eligit optimum.

§. CXXXVIII.

Decretum est determinatio voluntatis liberæ ad aliquid agendum vel non agendum, hac vel alia ratione.

§. CXXXX.

Deo tribuuntur *Decreta* Act. II. 23. Eph. I. II. 2 Tim. I. 9.

Obs. I. Cum *Decreta* Dei sint volitiones de rerum existentis, tot possunt concipi, quot dantur res revera existentes, & quot dantur illarum mutationes.

Obs. II. Mundus hic quoniam existit actu, hoc non nisi ex decreto divino fieri potest, hinc ratio cognoscit, dari decreta divina.

§. CXXXXI.

Benignitas est promittitudo conferendi aliis, quæ sunt bona.

Obs. Alias dicitur *Benevolentia*, quæ pro conditione obiectorum varia est. Si circa homines in specie versatur, dicitur *Φιλανθρωπία* vel amor, quoniam *Benignitas* ab amore separari non potest. Homo vero cum consideratur, quatenus nullum meritum ei inest, *Benevolentia* hæc dicitur *Gratia*; quando homo consideratur, quatenus est

est miser, *Misericordia* dicitur; Benignitas quando in remorando pœnas, & non subtrahendis beneficiis se prodat, *Patientia* revocatur.

§. CXXXXII.

In Deo est Benignitas summa. Pf. CXVIII. 68. Matth. V. 48. I Pet. II. 3.

Obs. Voluntas Dei per naturam suam fertur in optimum. Deus itaque vult, quod cuilibet enti est optimum, per consequens quoque perfectiones hominis essentielles & accidentales.

§. CXXXXIII.

Amor est propensio ad voluptatem percipiendam ex perfectione alterius.

Obs. Cum affectus proprie loquendo Deo non competant, per amorem serua Dei voluntas percipiendi voluptatem ex aliorum felicitate significatur.

§. CXXXXIII.

Deus est ipse amor. I Joh. III. 8. 16.

Obs. Quoniam Deus summe bonus est in creaturas a se diversas, ratio quoque colligit, amorem dari in Deo.

§. CXXXXV.

Indebitum dicitur ad quodcumque non obligamur. Ex indebito quod præstatur alteri, oritur *Meritum*. Quicumque alteri benefacit absque merito, is *gratis* id *facere* dicitur.

§. CXXXXVI.

Competit Deo Gratia Pf. CIII. 8. Rom. XI. 35. Eph. I. 6. 7. II.

Obs. Cum omnes perfectiones originem trahant a Deo, nec homo habeat, quod illi reponere possit, patet, gratiam Deo competere.

§. CXXXXVII.

Miser dicitur, qui magnis imperfectionibus laborat. *Misericordia* est Benignitas in miserum collata.

§. CXXXXVIII.

§. CXXXXVIII.

Deus est misericors. Pf. CIII. 8. 13. Luc. I. 78.

Obs. I. Notio Misericordiæ confirmatur ex Luc. X. 37.

Obs. II. Deus est pronus ad promovendas hominum perfectiones

§. 142. *obs. 2.* Homines vero sunt miseri. Hinc Misericordia Dei.

§. CXXXXVIII.

Patientia exerit se in remorandis pœnis, & non subtrahendis beneficiis.

§. CL.

Deus est patientissimus. Exod. XXXIII. 5. 6. Rom. II. 4.

Obs. I. Loco Exodi citato Pater loquitur de Filio. Deum loqui, non Mosen, probatur 1) ex contextu Exod. XXXIII. 19; 2) e loco parallelo Num. XIII. 17. 18. Patrem loqui de Filio, colligitur 1) ex desiderio Mosis Exod. XXXIII. 18; 2) ex promissione v. 19. facta, qua promittitur, a) omnem bonitatem Dei coram Mose transfiguram esse, b) Patrem prædicaturum esse de nomine Domini.

Obs. II. Deum esse patientissimum ratio ex summa Dei bonitate & sapientia colligit.

§. CLI.

Sanctum in genere dicitur illud, quod ab usu communi separatum, & ad certum finem destinatum est. Jes. XIII. 3. Matth. XXVII. 53.

§. CLII.

Est itaque *essentialis sanctitas* in Deo separatio ab eo omni, quod naturæ atque essentiæ eius repugnat, seu: separatio ab omni imperfectione.

Obs. Apparet ex dictis, Sanctitatem Dei esse attributum generale, quod de omnibus attributis divinis valet, quoniam ad essentiam Dei pertinet. Testatur hoc Scriptura sacra, dum Sanctitatem pronuntiat de veracitate & fidelitate Dei Pf. LXXXVIII. 36., de unitate Mal. II. II., de bonitate, misericordia, potentia Ezech. XXXVI. 23. sqq.

O

§. CLIII.

§. CLIII.

Sanctitas essentialis competit Deo soli. 1 Sam. II. 2. Jes. VI. 3. Apoc. III. 8.

Obs. Ex summa Dei perfectione ratio idem cognoscit.

§. CLIIII.

DEO secundum voluntatem spectato competit Sanctitas summa. Levit. XVIII. 2.

Obs. I. Deus hic sanctus dicitur, quemadmodum homines. Homini- bus vero hic præcipitur, ut vitia fugiant, & virtutem colant. Ablegantur hic ad voluntatem divinam v. 37. Deus vero cum superiorem non habeat, vult, quod perfectionibus suis est convenientissimum. Cum vero omne, quod Deo competit, illi in gradu absolute summo competat, & Sanctitas summa illi tribuenda. Pl. CXXXXV. 17.

Obs. II. Cum Deus nihil possit velle, quod perfectionibus eius repugnet, colligitur inde, quod Sanctitas summa sit in Deo.

§. CLV.

Bonitas sapienter administrata dicitur Justitia.

Obs. I. Eadem Justitiæ notio conficitur ex Exod. VIII. 27. Pl. LI. 5.

Obs. II. Bonitas administratur vel eam exercendo, vel exercitium eius suspendendo. Cum vero Bonitas exercetur pro conditione eius, cui conferenda est, propter male facta vero Bonitatis exercitium suspendetur, in cuius locum succedit severitas, tunc Bonitas sapienter administratur, & hoc est, quod efficit Justitia.

§. CLVI.

Deus est summe Justus teste Scriptura Sacra Deut. XXXII. 4. Pl. LXXXII. 16. CXXVIII. 4.

Obs. Quoniam in Deo summa est Bonitas, Sapientia summa, Justitia quoque illi inesse deprehenditur.

§. CLVII.

§. CLVII.

Pœna est malum, quod tanquam motivum ab eo, qui obligandi ius habet, infligitur, ut actio mala omittatur. *Premium* est bonum quod tanquam motivum actioni committendæ iungitur.

§. CLVIII.

Iustitia vindicativa est, qua quis peccantes punit. *Remuneratoria*, qua beneficientibus præmia confert.

§. CLVIII.

Deo competit *Iustitia Remuneratoria in gradu absolute summo*. Matth. X. 42. Hebr. VI. 10.

§. CLX.

Deo competit *Iustitia Vindicativa*. 2 Theff. I. 6. sqq.

§. CLXI.

Omnipotentia dicitur facultas, omne, quod fieri potest, deducendi in actum.

§. CLXII.

Deus est omnipotens secundum Scripturam Sacram Luc. I. 37. 2 Cor. VI. 18. Eph. III. 20. 1 Tim. VI. 18.

Obs. Potentia est facultas deducendi in actum, quæ per se sunt possibilis. Deo competere istiusmodi Potentiam, colligitur ex existentia huius universi, quod originem suam refert ad Deum. Facultas hæc cum deprehenditur in ente infinito, tunc est Omnipotentia.

§. CLXIII.

Omnipotentia Dei talis est, ut per solum voluntatis actum res extra se possit reddere existentes. Gen. I. 3. Jes. XLVIII. 13. Rom. III. 12.

Obs. Potentia Dei illimitata est non modo respectu obiectorum, si sint possibilis; sed etiam respectu modi agendi, h. e. facilitatis. Jam vero maior agendi facilitas concipi non potest, quam quae fit per solum voluntatis actum.

§. CLXIII.


Veracitas est habitus dicendi verum.

§. CLXV.

Deus est Veracissimus. Rom. III. 4.

Obs. Deus pro Omniscientia sua omnes veritates distinctissime cognoscit, pro Bonitate summa omnium creaturarum bonum vult. Est itaque veracissimus.





DE DEO.

§. CLVII.

est malum, quod tanquam motivum ab eo, qui
us habet, infligitur, ut actio mala omittatur.
bonum quod tanquam motivum actioni com-
tur.

§. CLVIII.

iva est, qua quis peccantes punit. Remu-
erantibus præmia confert.

§. CLVIII.

Deo competi-
summo. Mat-
Remuneratoria in gradu absolute
VI. 10.

§. CLX.

Deo competit
ativa. 2 Theff. I. 6. sqq.

Omnipotentia dicitur
ducendi in actum. ne, quod fieri potest, de-


Deus est omnipotens secundum
2 Cor. VI. 18. Eph. III. 20. I.
Sacram Luc. I. 37.

Obs. Potentia est facultas dedu-
possibilia. Deo competere istiusmo-
flentia huius universi, quod originem
tas hæc cum deprehenditur in ente inn-

§. CLXIII.

Omnipotentia Dei talis est, ut per se
res extra se possit reddere existentes. Gen. I.
Rom. III. 12.

O 2



5.